

ARTICULUS V.

QUID SIT ADJUTORIUM QUO, ET SINE QUO NON, AD MENTEM S. AUGUSTINI?

273. Nota I. Adjutorium quo, et sine quo non, ejusque discrimen *Jansenius* vocat *clavim* in scripta S. AUGUSTINI, *filum* in labyrintho ejus scriptorum, *fundamentum* et *basin* doctrinæ de gratia, quam S. Aug. non prius, quam in fine vitæ luculentissime declaraverit. Verum *gratis* omnino hæc asserit Jansenius, cum S. AUGUSTINUS hanc distinctionem semel tantum, et post devictos jam Pelagianos, paucis verbis, ac velut obiter strictimque tradiderit; nec sine *injuria* tum S. AUGUSTINI, ac si is 20. annis pro vera gratiæ et libertatis intelligentia contra Pelagianos disputans vel stolidæ ac ignoranter, vel invide aut parum prudenter se gessisset: tum sanctorum Pontificum INNOCENTII et ZOSIMI, nec non omnium Catholicorum, quod illi quæstiones de gratia definierint, et hi definitas suscepérunt ante scriptum de Corr. et grat. librum, ignorantes unicam vere doctrinæ *clavem*, *filum* et *basin*: tum sanctorum Patrum et Theologorum ante Calvinum, ejusque plagiarij Jansenium, utpote in quorum scriptis nihil occurrat de *adjutorio quo*, pro gratia necessitante accepto.

274. Nota II. Inter Theologos etiam orthodoxos non satis convenit, quid nomine utriusque adjutorii intellexerit S. AUGUSTINUS. Alii per adjutorium *sine quo* unice intellectam volunt gratiam habitualem: alii solam gratiam intellectus: alii gratiam versatilem voluntatis: alii demum habitualem gratiam, et simul coelestem intellectus illustrationem. Circa adjutorium *quo* plerique existimant, illud exponendum esse de actuali gratia efficaci, qua Deus ipsam perseverandi voluntatem in Sanctis infallibiliter operatur: alii de ipsamet formalí perseverantia id intelligunt: alii utroque sensu illud accipiunt, tum pro dono, tum pro adjutorio speciali perseverantie, ac simul pro gratia vel congrua, vel ex se efficaci ad salutariter operandum infallibiliter. Certum autem, quod Catholicorum nemo aut hoc aut illud adstruat a S. Aug. assertum in sensu *Calvini* aut *Jansenii*.

275. Nota III. S. Aug. nomine adjutorii *quo*, et *sine quo non* præcipue expressit perseverantiam *theologice* sumptam, h. e. permanentiam in gratia sanctificante finalē, vel sine libera cooperatione hominis, e. g. in parvulis et aliis statim post justificationem morientibus, vel cum cooperatione, e. g. in angelis bonis, et jam in plerisque sanctis adultis. Hæc perseverantia *adæquate* sumpta, prout includit omnia ex parte causæ, mediorum et effectus, dicitque Dei providentiam et misericordiam erga prædestinatos speciem, qua illos rapit ex hac vita, dum sunt in gratia sanctificante, dici potest *gratia perseverantiae*. Sumpta *inadæquate* dici potest vel *donum perseverantiae*, si scilicet *passive* et *formaliter* spectetur pro statu gratiæ sanctificantis in illo instanti, quod cuiilibet ultimum est vitæ: vel *adjutorium perseverantiae*, si spectetur *active* et *causaliter* pro auxilio prævenientis gratie actualis, quod alicui datur ad perseverandum, h. e. ad conservandam vel recuperandam in ultimo vitæ instanti gratiam sanctificantem.

276. Dico I. S. Aug. per adjutorium *quo*, et *sine quo*, non intellexit gratias duntaxat actuales.

Prob. S. Aug. in L. de Corr. et grat. perpetuo loquitur de dono seu gratia perseverantiae: hoc autem donum non est gratia duntaxat actualis, ut patet in parvulis et adultis prædestinatis, statim post justificationem, sæpe in somno, in delirio, aut casu quodam inopinato extinctis; ergo.

Conf. Gratiæ actuales dantur in hac vita, dantur omnibus hominibus, et per liberum arbitrium iis consentitur: sed juxta S. Aug. per adjutorium *quo* fit, ut non per liberum arbitrium perseveretur, scilicet, *quo fit*, et *per quod nonnisi perseverantes sint*, ita ut perseverantia, si data sit, aequa parum amitti possit, ac ipsa beatitudo; datur nunc solis prædestinatis, ait enim: *Hæc de his loquor, qui prædestinati sunt; datur, cum venerit finis;* ergo. Ita L. de don. persev. c. 6.... L. de corr. et grat. c. 8. etc.

Quamvis autem in adultis donum perseverantiae includat *gratiæ actuales*, tanquam media ad salutem necessaria, tamen in iis solis non consistit; cum multi copiosissimis gratiis acceptis, vitaque diu sanctissime acta, in fine deficiant, quando alii post vitam diu flagitiose actam in fine resipiscunt. S. Aug. ibid.

277. Dico II. S. Aug. utriusque discrimen non statuit in eo, quod adjutorium *sine quo* tantum fuerit auxilium sufficiens pro statu naturæ integræ: adjutorium *quo* sit auxilium efficax solum pro natura lapsa.

Prob. S. Aug. discrimen generale posuit in eo, quod in statu naturæ integræ tantum fuerit adjutorium *sine quo*, in statu naturæ lapsæ adjutorium *quo*: sed per adjutorium *sine quo* nequit intelligi gratia tantum sufficiens, quod etiam datur in statu naturæ lapsæ; nec per adjutorium *quo* gratia efficax, tum quia sancti angeli perseverarunt, utique per gratiam efficacem, quæ ibi habetur juxta S. Aug., ubi locus debetur dicto Apostoli: *Quis te discernit?* tum quia juxta eundem Aug. Adam, si perseverasset, per eamdem gratiam perseverasset, per quam angeli; Adam vero non perseverasset sine gratia adjuvante, juxta ARAUS. II. can. 19.; adjuvans autem gratia certe efficax est.

Conf. Auxilium efficax et sufficiens sunt ex omnium sententia gratiæ actuales: atqui ex dictis adjutorium *quo*, et *sine quo*, juxta S. Aug. vel plane non sunt, vel non sunt solæ gratiæ actuales; ergo.

278. Dico III. S. Aug. quantum ad *auxilia actionis* per adjutorium *sine quo* pro statu naturæ integræ intellexit adjutorium intellectus cum gratia habituali: per adjutorium *quo* pro statu naturæ lapsæ adjutorium seu illustrationem intellectus, simul et gratiam inspirationis voluntatem afficientem.

Prob. 1^o. S. Aug. ubi gratiam voluntatis exprimit, usurpat voces: *Spiritus charitatis, inspiratio dilectionis, bona voluntas, boni cupiditas, suavitas, delectatio, cordis voluptas*: at ubi loquitur de gratia Adami et angelorum, tantum adhibet nomina *luminis, lucis*, aliaque illustrationem exprimentia, L. de Nat. et Grat. c. 27.... L. 2. de Pecc. mer. c. 8.... L. de Gestis Pelag. c. 3. etc.; ergo.

Conf. Talis juxta S. Aug. naturæ integræ fuit concessa gratia, cui conveniat, ut non per eam, sed per liberum arbitrium angeli operati sint, et per-

severarint; Adam vero potuerit operari et perseverare, ex 5^a prop. AUG.; ergo. Nam quod fit cum sola gratia intellectus, debet potius tribui libertati, quam gratiae illi, quae est voluntati extrinseca, nec influens in ejus actionem, nec robur addens.

Prob. 2^o. Juxta S. Aug. in homine gratia habituali et illustratione divina instructio necessaria est gratia voluntatis ad vincendos concupiscentiae motus a bono removentes: sed certum est, nullos fuisse in Adamo concupiscentiae motus, aliave obstacula; ergo.

Conf. Pelagiani solam admirerunt gratiam illustrationis; et S. Aug. affirmit, verum fore dogma *Pelagianorum*, si natura non esset laesa, sed innocens; L. de Nat. et Grat.; ergo.

279. *Obj. S. FULG. L. 2. ad Thrasim. c. 3. et S. BERN. in Cant. serm. 22. n. 6.* dicunt, unam esse gratiam operatam in homine lapsi, ut surgeret, et in angelo stante, ne caderet; ergo ex parte gratiae ipsius nullum est discrimen. *Conf. Juxta S. Aug.* gratia medicinalis est major et potentior, quam gratia sanitatis; ergo discrimen tantum est quoad majus et minus, non vero quoad substantiam vel operationem.

R. D. A. Dicunt esse unam eamdem gratiam in genere, et spectando præcise rationem doni supernaturalis indebiti C. in specie, ac spectando rationes singulares N. Discrimen autem specificum intercedere debere patet ex supra dictis.

Ad Conf. N. vel D. Cons. Discrimen tantum est quoad majus vel minus intra idem genus C. intra eamdem speciem N. Conceditur sane ab omnibus specifica differentia inter gratiam intellectus et gratiam voluntatis, et famen. S. Aug. L. de Gr. Chr. c. 26. de iis sic scribit: *Est utrumque Dei donum; sed unum majus, alterum minus.*

Inst. 1. Angeli, qui perseverarunt, ampliori adjutorio fuerunt instructi, ut ait Aug. L. 12. de Civ. c. 9. n. 2. *Illi amplius adjuti, ad eam beatitudinem plenitudinem, unde se nunquam casuros certissimi fierent, pervenerunt:* sed per hoc amplius adjutorium intelligi debet gratia voluntatis; ergo.

R. D. M. Amplius adjuti sunt adjutorio patriæ ac termini, seu ipsa beatitudine in præmium perseverantiae concessa, qua pervenerunt ad plenitudinem beatitudinis seu certitudinem de perpetuitate C. adjutorio viae seu auxilio actuali subd. ampliore adjutorio illustrationis vel in se, vel in ratione alterius T. ampliore adjutorio motionem voluntatis præstante ac subministrante illi vires N. Dixi: *Transeat;* quia reipsa loquitur hic S. Doctor de ipsa perseverantia seu beatitudine, non autem de adjutorio ad perseverandum; ut patet tum ex contextu, tum ex scopo, quem sibi proposuerat, quemque L. 11. de Genes. c. 17. et L. de Corr. et gr. c. 10. semel ac iterum proposita quæstione indicaverat.

Inst. 2. S. Aug. LL. de Civ. et de Corr. ac gr. passim tribuit angelis et Adamo gratiam, quæ efficaret velle, et operaretur bonam voluntatem: sed his etiam verbis indicat in natura lapsa gratiam voluntatis; ergo.

R. D. M. Tribuit illis hanc gratiam ad primam voluntatem bonam seu actus primos, quibus se disponerunt ad gratiam sanctificantem C. ad voluntatis bona continuationem et actus subsequentes N. De priori gratia S. Aug. loqui patet ex ipsius verbis L. 12. de Civ. c. 9. *Non (est) dubium,*

quod ab illo facta sit (bona voluntas) a quo et ipsi (facti sunt,...). Et istam quis fecerat, nisi ille, qui eos cum bona voluntate, id est, cum amore casto, quo illi adhaererent, creavit?

Inst. 3. Idem L. 14. de Civ. c. 13. n. 1. haec habet: *Si voluntas (Adami) in amore superioris immutabilis boni, a quo illustrabatur ut videret, et accendebatur ut amaret, stabilis permaneret; non inde ad sibi placendum avertetur, et ex hoc intenebresceret et frigesceret.*

R. similiter. Verba enim haec, quæ necessario in Jansenii etiam systemate emollienda sunt, nihil aliud exigunt, quam intellectum Adami fuisse illustratum, et voluntatem accensam ad amandum immutabile bonum, qui fuit primus actus et dispositio ad gratiam sanctificantem, quin etiam ad perseverandum in hoc amore, et sic ad actus subsequentes hic requiratur utraque gratia: quamvis enim hic Evæ credulitas serpentis sermoni præstita opponatur illustrationi, et Adami obsequientia erga uxorem obedientiae erga Deum, tamen haec oppositio non debet terminari immediate ad illustrationem et accensionem formaliter ac in se spectatam, sed mediate ac affective in amore scilicet primo sumptam: unde et alii textum explicant non de illustratione et accensione, quæ amorem Dei præcedat et ad illum provocet; sed de amore ipso, a quo primi parentes illustrabantur et accendeantur ad reliqua recte videnda et amanda.

Inst. 4. Si gratia voluntatis non fuisset data naturæ integræ, actus ejus boni non possent dici salutares; ergo.

R. N. seq. Et quidem quoad 1^{um}, licet absit gratia voluntatem excitans, adest tamen gratia adjuvans, nempe habitus supernaturalis per modum principii influens in actum, cuius nomine etiam hic venit natura et liberum arbitrium, per quod angelos stetisse et Adam permanere potuisse sœpius jam dictum est. *Natura enim, libertas naturalis, et liberum arbitrium hic non usurpantur ab Augustino in vulgari sensu et opposito ad omnem gratiam supernaturalem;* sed pro natura integra, libertate ac libero arbitrio secundum statum primæ creationis donis supernaturalibus ornatum, et tantum opposite ad gratiam auxiliantem pia affectionis. Hoc enim sensu Concilium ARAU. II. can. 21. dixit naturam per Adam esse perditam; Aug. epist. 107. (al. 217. n. 11.) : *Totam (naturam) in semetipso perdidit primus Adam;* et L. 1. Retr. c. 15. n. 6. : *Proprie natura dicitur, in qua sine vitio creati sumus.*

Inst. 5. Juxta S. Aug. gratia naturæ integræ tribuebat Adami voluntati posse seu potentiam agendi: sed gratia illustrationis non tribuit voluntati posse, cum in eam non influat; ergo. *Conf. Homo justus in statu præsenti, quantumvis nulla concupiscentia pulsatus, sine pia affectionis gratia non potest bene operari;* ergo nec id potuit in statu priori.

R. D. m. Illustrationis gratia sola non tribuit voluntati posse C. conjuncta cum gratia habituali aliquisque donis, quibus instructam diximus naturam integrum N.

Ad Conf. N. Cons. Disparitas est 1^o. quia in homine quamvis justificato remanet semper concupiscentia, quæ in actus etiam vehementiores prorumperet, nisi gratiae prævenientis ope cohiberetur: ea vero non fuit in natura integra. 2^o. In homine lapsi voluntas vel ex peccato originali, vel aliunde habet difficultatem magnam ad bonum supernaturale, quæ superari debet

per prævenientem et confortantem gratiam : eam non habebat voluntas naturæ integræ recta a Deo creata.

Inst. 6. Quamvis in statu innocentiae nulla esset *ignorantia intellectus*, tamen requirebatur illustrationis donum; ergo quamvis ibidem non fuerit *concupiscentiae motus*, requirebatur donum inspirationis.

R. 1º. D. supp. Ant. Nulla erat in Adamo ignorantia habitualis *C. actualis subd.* beneficio gratiae intellectus, singulis in occasionibus suggestis, quid agendum foret *C. seclusa* hac gratia *N.*

R. 2º. N. Cons. *Disparitas* est 1. quia seclusa gratia intellectus, fuisse in Adamo *ignorantia actualis* rerum hic et nunc agendarum : seclusa autem gratia voluntatis actuali in eo non fuisse futura *concupiscentia actualis*, utpote quæ non est mera privatio coelestis motionis, sicut similis ignorantia est mera privatio cognitionis, sed illi contrarie opponitur. 2. Gratia *illustrationis* requiritur essentialiter ad actum salutarem, cum aliter suppleri non possit : non ita requiritur gratia *inspirationis*, cum praesente illustratione liberum arbitrium sanum et se ipsum movere, et per principium habituum supernaturalium operari salutariter potuerit.

Inst. 7. Ad indeliberatam illustrationem intellectus necessario sequitur indeliberatus motus in voluntate ; ergo vel neutra, vel utraque gratia etiam in natura integra est admittenda.

R. D. A. Sequitur indeliberatus in voluntate motus nunc et in praesenti statu *T.* in statu integratatis sequebatur *N.* Sicut in *naturalibus*, etiam ad malum nullus voluntatis motus prevertebat rationem in statu integratatis, sic non est fundamentum id asserendi de *supernaturalibus*. Praeterea ejusmodi motus indeliberatus vera gratia voluntatis, eam scilicet adjuvans et corroborans, dici non posset.

280. *Dico IV.* Systema S. Aug. circa perseverantiam complectitur sub nomine adjutorii *quo*, et *sine quo non*, tam donum, quam adjutorium perseverantiae.

Prob. S. Aug. ex dictis n. 276. perseverantiae ejusmodi tribuit predicata, quæ plerumque convenienter dono perseverantiae, et quandoque adjutorio perseverantiae, juxta utriusque notionem ex n. 275.; ergo. Sane plura his adjutoriis c. 12. n. 35. 38. tribuit predicata, quæ non convenienter statui gratiae sanctificantis cum ultimo vitæ termino conjunctæ, ut cum dicit : *Major libertas est necessaria adversus tot et tantas tentationes..... dono perseverantiae munita..... Ille (Adam) et terrente nullo et insuper contra Dei terrentis imperium libero usus arbitrio, non stetit in tanta felicitate.... isti autem, non dico terrente mundo, sed serviente ne starent, steterunt in fide..... Ac per hoc nec de ipsa perseverantia boni voluit Deus sanctos suos in viribus suis, sed in ipso gloriari : qui eis non solum dat adjutorium, quale primo homini dedit, sine quo non possint perseverare si velint ; sed in eis etiam operatur et velle : ut quoniam non perseverabunt, nisi et possint et velint, perseverandi eis possilitas, et voluntas, divine gratiae largitate donetur.*

Triplex autem discriminex mente S. Aug. datur inter *donum perseverantiae* pro utroque statu : 1º. Quod perseverantia in hoc statu pendeat a morte felici, in illo ab actione salutari, L. de Corr. et grat. c. 12. 2º. Quod in illo reicta fuerit libero arbitrio, jam vero pendeat a sola Dei miseri-

cordia, cum pendeat a morte felici, quæ in manu unius Dei est. 3º. Quod perseverantia sanctis angelis fuerit *merces meriti*, utpote ex libero arbitrio profecta, nunc vero predestinatis sit *donum gratiae*, ob mortem ex unius Dei arbitrio pendente.

Discrimen, quod inter *adjutoria perseverantiae* pro utroque statu, seu inter auxilium *quo*, et *sine quo non* perseveratur, statuit S. Aug., potest explicari tum juxta num. 278. de gratia *illustrationis* et *inspirationis*; tum ex eo quod adjutorium, *quo* perseveratur in statu nature lapsæ, detur, *scientia media* non tantum præludente, sed etiam *dirigente*, h. e. ideo detur, quia futurum est efficax, et non daretur, si prævisum fuisse inefficax futurum; adjutorium autem *sine quo non* perseveratur in statu integratatis, collatum fuerit *scientia media* duntaxat præludente, ita ut, non obstante prævisione de ejusdem inefficacia, aliud non daretur.

281. *Obj. I.* Juxta S. Aug. L. de Corr. et grat. c. 10. n. 27., c. 11. n. 29. 31. 32., c. 12. n. 34. in statu naturæ integræ fuit tantum adjutorium *sine quo non*, non autem adjutorium *quo* : sed hoc in allato systemate non tenet; ergo. *Prob. min.* In allato systemate Adamus et angeli habuerunt gratiam efficacem, utrique quidem ad actus primos salutares, postremi etiam sancti ad perseverandum : sed gratia efficax est adjutorium *quo*, sicut adjutorium *sine quo non* est gratia sufficiens; ergo.

R. N. min. Ad prob. D. M. Adamus et angeli habuerunt gratiam efficacem materialiter sumptam, seu quæ talis est *C.* formaliter sumptam, seu quæ talem *N.* *D. etiam 1^{am}. part. min.* Gratia efficax materialiter, seu quæ talis est adjutorium *quo N.* efficax formaliter et quæ talis *C. 2^{am}. partem* vero *N.*; quia in phrasim Augustiniana adjutorium *sine quo non* non tantum est gratia sufficiens, sed etiam gratia efficax materialiter et quæ talis, nempe quæ datur *scientia media* duntaxat præludente, non autem dirigente, h. e. quæ quidem prævidetur efficax futura, non tamen ideo datur, quia prævisa est efficax, quæque non daretur, nisi efficax futura prævideretur.

Inst. 1. Adjutorium *quo* est auxilium, quo fit, ut aliquis usque in finem perseveret : sed angeli sancti habuerunt auxilium, quo factum est, ut perseverarent ; quia gratiae efficacis ope perseverarunt ; ergo.

R. D. M. Adjutorium *quo* est auxilium, quo quomodocumque fit, vel quo præcise adjuvante, aut *cum quo* fit, ut aliquis perseveret *N.* est auxilium, quo efficiente, aut *per quod fit*, ut etc. *C.* Nempe adjutorium *quo* duo dicit, unum ex parte *Dei*, scilicet quod ab eo detur cum tali determinatione, ut si adjutorium idem fuisse prævisum futurum inefficax, loco illius daretur aliud prævisum efficax : alterum ex parte *auxilii*, nimurum quod adæquate sumptum includat motionem voluntatis; ex hoc enim utroque capite prærogativam habet auxilii efficientis et talis, *per quod fit*, ut perseveret : cum ex ejus defectu, quamvis reipsa sit efficax, tantum adjuvans dicatur et tale, *cum quo fit*, ut perseveret ; quia perseverantia in concursu talis auxilii ex formula loquendi Augustiniana habetur *per liberum arbitrium*.

Inst. 2. Adjutorium *quo* est tale auxilium, vi cuius discretio pertinet ad Deum, juxta illud Pauli : *Quis te discernit?* Atqui gratia efficax sanctorum angelorum erat tale auxilium, vi cuius discretio angelorum pertinebat ad Deum ; quia etiam locus iste Apostoli obtinebat apud angelos ; ergo.

R. D. M. Adjutorium quo est auxilium, vi cuius quoad effectum præcise spectati discretio pertinet ad Deum N. vi cuius quoad dantis affectum et quoad auxilii entitatem spectati pertinet discretio ad Deum C. et distincta min. N. cons. Deus discrevit angelos bonos a malis per hoc, quod illis dederit auxilium, cum quo erant perseveraturi; his vero dederit auxilium, cum quo non erant perseveraturi: non etiam per hec, quod *speciali affectu* illorum potius, quam horum perseverantiam voluerit, aut præter illustrationem concesserit *affectionem quoque voluntatis*; cum juxta Aug. utrisque dederit auxilium perseverantie sine quo non, ita ut perseverandi et non perseverandi voluntatem libero eorum committeret arbitrio.

E contrario *sancitis nunc prædestinatis* utrumque præstat, eosque discerit a reprobis non per hoc duntaxat, quod illis det auxilium, cum quo perseverantes erunt; sed per id quoque, quod det ideo, quia cum hoc non nisi perseverantur sunt, datus aliud, si cum isto defecturi viderentur: *reprobis* vero det auxilium, cum quo minime perseverantur sunt, quamvis cum illo proxima vel remota perseverandi potentia ipsis tribuatur.

Inst. 3. Nullum est fundamentum hujus asserti scientia media praeluciente ac dirigente; ergo.

R. N. A. Nam 1. hac explicatione eripitur S. AUGUSTINUS Luthero, Calvinus et Jansenio, tum quia negatur necessitas gratiae necessitantis, tum quia assetur libertas indifferentiae. 2. Quia hac ratione datur discrimen gratiae utriusque status, tum ex ipsa *entitate* gratiae, cum gratia illustrationis differat ab inspiratione; tum ex gratiae respectu ad Deum, qui hic, non ibi, dirigitur a scientia media; tum ex gratiae respectu ad naturas, sanam aliam, aliam infirmam. 3. Quia hac ratione ostenditur, quod S. Aug. doctrina optime cohaereat, et omnia gratiae discrimina pro utroque statu rite explicentur.

Inst. 4. TRID. Sess. 6. can. 22. *Si quis dixerit, inquit, justificatum, vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse; anathema sit.* Similia colliguntur ex ARAUS. II. can. 10., ex S. Aug. in Enchir. c. 107., L. 12. de Civ. c. 9. et L. 14. c. 27.; ergo et perseverantia sanctorum angelorum fuit specialis gratia; ac consequenter adjutorium quo. Conf. Angeli sancti, qui perseverarunt, amplius adjuti sunt, quam reprobis qui cediderunt, juxta S. Aug. L. 12. de Civ. c. 9.; ergo acceperunt adjutorium quo.

R. D. A. Sine speciali auxilio non potest perseverari in natura lapsa C. non potuit in natura integra N. Certe S. Augustinus ab angelis sanctis perseveratum dicit *per liberum arbitrium*, non autem per gratiae donum. *Disparitas* est, quia in natura integra non erat opus *favore speciali*, sive ratione mortis tempore status gratiae, sive ratione infirmitatis naturae aut difficultatis; que tum perseverantiae, tum exercitio boni in statu naturae lapsæ necessitatem imponunt specialis favoris.

Ad Conf. R. 1^o. ut responsum est num. 279.

R. 2^o. D. M. Angelis sanctis sunt amplius adjuti in actu secundo C. in actu primo N. Angelos sanctos amplius in *actu secundo* adjutos fuisse inde constat, quod nemo in actu secundo adjuvetur, nisi ipse agat: neque quispiam salutariter operetur, nisi Deus cooperetur. Cum ergo angelis sancti sponte operati sint illum actum, ex quo pendebat ipsorum a statu viae ad statum termini h. e. æternam beatitudinem transitus; habuerunt auxilium

gratiae in *actu secundo* physice adjuvantis et cooperantis, quod angeli mali, quia eumdem actum ponere neglexerunt, sua culpa non habuere; quamvis ex Dei liberalitate perinde ac angeli sancti illud habuerint in *actu primo*, et si voluissent, etiam in *actu secundo* habuissent.

282. *Obj. II.* Neque in systemate *gratiae congruae* possunt explicari omnia dogmata et discrimina, quæ S. Aug. edidit de gratia perseverantiae in utroque statu; ergo nostra explicatio non est preferenda aliis. *Prob.* Juxta S. Aug., si Adam perseverasset, ut potuit, perseverasset sub eodem auxilio, sub quo non perseveravit. Sed de facto illud auxilium non erat *congruum* seu datum sub scientia media perseverantiae cum tali auxilio; ergo etiam, si perseverasset, non fuisset auxilium congruum vel datum sub scientia media perseverantiae futura; consequenter gratia efficax in Adamo non fuisset data scientia media prælucente.

R. N. A. *Ad prob. D. M.* Perseverasset sub eodem auxilio entitative sumpto, et secundum quod dicit ipsam virtutem auxiliandi C. sub eodem auxilio etiam respective sumpto, et secundum quod extrinsecus dicit præscientiam Dei medium N. Sicut Catholicæ scholæ omnes fateri tenentur, peccatorem, qui violat præceptum, potuisse sub eodem auxilio illud servare, quamvis de facto non fuerit congruum, sed tamen potuisse esse congruum, si voluisset eidem cooperari: sic idem enuntiamus de auxilio Ade dato.

Inst. 1. Juxta S. Aug. Adamus ad perseverandum non opus habuit eo auxilio, quo nunc indigent sancti ad vitam æternam prædestinati. Sed hoc in systemate *gratiae congruae* est falsum; nam prædestinati nunc indigent tantum gratia congrua, eaque habita consequenter impossible est, ut non perseverent: atqui etiam Adamus opus tantum habuerat *gratia congrua*, ut diceretur, eaque habita infallibiliter perseverasset; ergo falsum est, quod non habuerit opus eo auxilio, quo nunc indigent prædestinati.

R. N. vel D. M. Prædestinati nunc indigent tantum gratia congrua ejusdem speciei cum congrua in statu naturæ integræ N. Diversæ speciei C. Diversitas utriusque gratiae stat in eo: 1. quod in natura integra sit tantum gratia excitans intellectum; in lapsa autem etiam excitans voluntatem; unde est differentia entitatis: 2. quod in natura integra supponat naturæ sanitatem ac integratatem; in lapsa autem difficultatem emolliat, infirmitatem roboret et vires addat; unde est differentia virium vel saltem tenditiae intrinsecæ ad effectus singulares præstandos: 3. quod in natura integra gratia congrua detur, etiam danda, si non esset congrua futura; in lapsa autem sic conferatur, ut loco illius alia daretur, si efficax non futura prævideretur; unde est differentia specialis favoris pro statu præsenti. Atque ex hoc *triplici discrimine* manifestum est, in qua ratione gratiae præsentis status *potentior* sit gratia, quæ congrua fuit in natura integra.

Inst. 2. Duo singulare discrimina alia a S. Aug. gratiae assignata, per gratiam congruam minus commode explicantur: 1^{um}. Quod angelii sancti perseveraverint per *liberum arbitrium*, prædestinati nunc perseverent per *gratiam*, quia habent gratiam congruam; ergo si etiam angelii sancti *gratiam congruam* habuissent, per *gratiam*, et non per *liberum arbitrium* perseverassent. 2^{um}. Quod sanctis naturæ lapsæ detur tale adjutorium gratiae, quo *indeclinabiliter* et *insuperabiliter* eorum voluntates aguntur, ut illo adjutorio

accepto perseverantes esse invictissime velint. Hoc autem etiam de angelis bonis dicendum erat in nostro systemate, ubi *indeclinabilitas, insuperabilitas* et *invictissima ratio* in eo potissimum fundatur, quod gratia a Deo detur sub infallibili scientia media de secuturo effectu; ergo.

R. *Ad 1^{um}. D. min.* Ideo sancti nunc per gratiam perseverant, quia habent gratiam congruam, quam reipsa habere non permittitur eorum libero arbitrio C. quia simpliciter habent gratiam congruam N. Quamvis *sanc*t*i naturae lapsæ libere consentiant gratiæ congruae, tamen si præviderentur illi gratiæ non consensuri, Deus illis aliam conferret, cum qua bene operaturi præviderentur, et hac ratione gratia congrua ipsorum arbitrio non relicta dicitur: quia vero ex opposito Deus non dedisset *angelis sanctis* gratiam aliam, si, quam prævidit congruam, prævidisset cum consensu non conjungendam; hinc sub hac ratione eorum arbitrio gratia relicta dicitur.*

R. *Ad 2^{um}. 1^o. Locum illum Aug. intelligendum esse de perseverantiae gratia adæquate sumpta, ut satis ex contextu patet. 2^o. N. cons. S. Aug. enim nullibi negat, quod etiam indeclinabiliter perseveraverint sancti angeli, sed tantum, quod perseverasset Adam si *vellet*; nunc autem sanctis detur, ut invictissime velint, nempe per gratiam inspirationis, quæ non erat in natura integra. 3^o. D. et suppleo rationem min.* Quod quomodo cum detur gratia sub infallibili scientia media N. quod sic detur, ut loco illius daretur alia, si haec prævisa fuisset effectum non habitura C.

283. *Observa. Prædeterminatio physica* nec videtur posse intelligi per solum adjutorium quo, ita ut tantum detur in statu naturæ lapsæ; quia tum essentialis cuiuslibet causæ secundæ a causa prima dependentia, tum infallibilitas divinæ cognitionis circa actus nostros liberos, ex quo duplice fundamento prædeterminatio dicitur necessaria in statu naturæ lapsæ, etiam locum habent in statu naturæ integræ. Nec per adjutorium quo, simul et sine quo non, ita ut prædeterminatio tam fuerit data angelis perseverantibus, quam nunc datur prædestinatis; patet ex prop. S. Aug. num. 271: vide licet Adamus integer alio adjutorio opus habuit, ac nunc sancti: sancti in hac vita indigent majore et potentiore auxilio, quam indigerit Adamus: si Adam perseverasset, perseverasset cum eodem auxilio, cum quo cecidit: angelii sancti perseverarunt per liberum arbitrium, sancti hujus vite per donum gratiæ. At singula haec discrimina a S. Aug. totidem verbis asserta non subsistunt, si utrique statui ad perseverandum necessaria sit *prædeterminatio*.

CAPUT II.

DE NECESSITATE GRATIÆ ACTUALIS.

ARTICULUS I.

AN HOMO SOLIS NATURÆ VIRIBUS POSSIT MERERI AUT IMPETRARE GRATIAM, VEL AD EAMDEM SE DISPOSNERE?

284. *Dico I. Homo solis naturæ viribus nequit de condigno aut congruo mereri gratiam. Est de fide.*

Prob. I. Ex sententia universæ Ecclesiæ, gratia actualis prima est omnino indebita et gratuita, ad Rom. 11. v. 6. Si autem gratia, jam non ex operibus: alsoquin gratia jam non est gratia. Ergo excludit sine discriminâ omne meritum sive congruum, sive condignum.

Prob. II. Ex eadem sententia nullum gratiæ iustitiae, pietatis aut salutis initium tribui potest facultati nature, sed Deo, Deique gratiæ supernaturali, ad Rom. 3. v. 20. Ex operibus legis non justificabitur omnis caro. Et v. 24. Justificati gratis per gratiam ipsius. Item 1. ad Cor. 4. v. 7. Quis enim te discernit? Ad Philipp. 2. v. 13. Deus est, qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate.

Prob. III. Similiter dogma Ecclesiæ est, liberum arbitrium non posse sine gratia aliquid salutare seu conducens ad salutem agere; juxta illud Christi, Joann. 15. v. 5. Sine me nihil potestis facere. Et Joann. 6. v. 44. Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit illum. Item 1. ad Cor. 4. v. 7. sup. cit. Quid habes, quod non acceperisti? Et ad Rom. 11. v. 35. Quis prior dedit illi, et retribuetur ei?

*Prob. IV. Nullum opus meretur præmium, quod est supra omnem connexionem transcendentem naturæ operantis; quia etiam meritum congruum sine connexione ad præmium concipi nequit. Sed quælibet gratia actualis, tanquam *donum supernaturale*, est supra omnem connexionem transcendentem naturæ rationalis suis viribus operantis; ergo quælibet gratia est supra meritum qualemque naturæ rationalis suis viribus operantis.*

285. *Dico II. Homo nequit impetrare gratiam, aut ad eam se disponere per orationem naturalem.*

Prob. Ad Röm. 8. v. 26. dicitur: Quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis (vel ut S. Aug. cum aliis legit) interpellat gemitis inenarrabilibus. In quem locum idem in ep. 103. (al. 194. c. 4. n. 16.): Dictum est, scribit, interpellat, quia interpellare nos facit, nobisque interpellandi et gemendi inspirat affectum. Et Joann. 15. v. 7. Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, et fieri.